



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

IV. De causa eas concedendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

17. Pontifex, aut Episcopus fruine potest indulgentijs, quas alijs concedit? Potest; quia non debet esse deterioris conditionis, quàm subditi. Tenentur ne ~~id~~ id opus iniunctum ad lu-  
crationem indulgentiæ præstare? Opus quidem generaliter in-  
iunctum agere non tenentur; sed secum possunt hac in parte  
dispensare: loco illius aliud pium opus præstando.

CAPVT IV.

De causa Indulgentias concedendi.

18. AN causa ad Indulgentiæ concessionem requiratur? Ita  
planè; quæ quidem causâ tam ex parte conceden-  
tis, quàm ex parte petentis indulgentiam, considerare  
oportet.

19. Causa huiusce exprime sufficientiam. Erit equidem cau-  
sa sufficiens quidquid in Dei honorem, aut Ecclesiæ cedit vri-  
litate. Concedi autem affirmo cum *Henriquez* ex motiuo  
solius misericordiæ pro animabus Purgatorij. Præterea Prin-  
cipi optimè de Ecclesia merito conceduntur, vt alij ad eadem  
facinora excitentur; quasi Principis egregia facta sint causa  
indulgentiæ. Peccator denique magnus à Papa vt pio pa-  
rente ex Thesauro ad satisfaciendum pœnis debitæ potest  
adiuari.

20. Peccat ne qui pro parua causa indulgentias largissimas  
concedit? Peccat; quia concedens indulgentias non est Do-  
minus, sed prudens dispensator.

21. Quid si sine causa, aut leui tales Indulgentiæ concedan-  
tur? Valida ne? Ita planè, vti *Henriquez* ex grauib; anti-  
Henriq. quis Doctoribus egregiè ostendit.

22. Possunt ne pro quolibet opere, aut actu pio etiam leuissi-  
mo validè à Pontifice Indulgentiæ concedi? Imò sic plerunque  
concedi edocet experientia. An non plenaria indulgentia pro  
Oratione Dominica, aut Angelica salutatione dispensatur?  
Certè indulgentiæ frustra concederentur, si ad earum conse-  
cutionem æquiualens opus esset necessarium. Scio Pontifi-  
cem aliquando posse indulgentias concedere nullum opus  
requirendo. v. gr. si defuncto viro Ecclesiæ benefactori in-  
dulgentias applicet.